MEMORIAM
IOANNIS AUGUSTI ERNESTII

D. XX. OCTOBR. HORA X.

IN AUDITORIO IURIS CONSULTORUM

ORDINIS ILLUSTRIS CONCESSU

SOLLEMNI ORATIONE CELEBRANDAM

INDICIT

REINHOLDUS KLOTZ,

DR. PHILOS., PHILOL. CLASS. PROF. P. O., DIRECTOR SEMIN. PHILOL. REG., EQUES ORD. REG. SAX. VIRTUTE AC FIDE BENE MERITORUM ETC.,

ORD. PHILOS. H. T. DECANUS.

Praemissae sunt adnotationes ad M. Tullii Ciceronis orationem Quinctianam.

LIPSIAE

PROSTAT APUD A. EDELMANNUM

BIBLIOPOLAM UNIVERSITATIS.

MDCCCLXII.

62

Quom nuper M. Tullii Ciceronis orationes relegerem, ut quid I. G. Baiterus atque Carolus Halmius, qui multum studii operaeque in his orationibus emendandis post me consumpserunt, et C. L. Kayserus, qui post hos criticos diligenter Ciceronis orationes recognovit, in ea re praestitissent cognoscerem, in multis harum orationum locis illos criticos, quos quom ingenii acumine tum doctrinae elegantia semper praestantissimos esse putavi, mihi ita adsensos esse intellexi, ut aut in deligendis librorum scripturis meum iudicium sequerentur aut coniecturas a me propositas iudicio suo comprobarent; in aliis autem locis non paucis, ut fere fieri solet, illorum sententiam ab eo, quod ego proposueram, discrepare vidi. Horum locorum quidam ita comparati sunt, ut illorum virorum auctoritatem mihi quoque nunc sequendam esse existimem, in aliis vero locis homines acutissimi atque eruditissimi aut sine idonea causa a meo iudicio dissensisse aut certe non id, quod ego verum esse putem, proposuisse mihi videntur. De his igitur locis hac data opportunitate ita dicam, ut me in una oratione Quinctiana contineam, quia in hac ipsa oratione tot loci digni commemoratione inveniuntur, ut iustus libellus mea disputatione compleri posse videatur.

Ac primum quidem Baiterus orationis Quinctianae cap. I § 4. scripsit: *Nam quo minus ingenio possum, subsidium mihi diligentiam comparavi*, pro *subsidio*, quod est in Ciceronis libris, *subsidium* reponens, qua in re se ait Quinctiliani XI. 1, 19. auctoritatem sequutum esse, quae tamen in eius modi locis, ubi non singula verba notantur, sed tantum modo sententia alicuius scriptoris adfertur, per se admodum infirma est et hoc loco eo infirmior, quod in eius libris illis quidem etiam alias multis modis corruptis satis magna scripturae discrepantia est. Nam eius libri pro prima voce *quo* aut *quod* aut

quia scriptum habent et *ingenio minus* pro *minus ingenio* et in altero membro non solum *subsidium* pro *subsidio* exhibent, sed etiam *diligentia* pro *diligentiam*, quod non est nisi in perpaucis Quinctiliani libris. Quinctiliani igitur auctoritatem, qui diligenter artem criticam exercet, non facile in eius modi loco constituendo sequetur, nisi forte ea, quae usque adhuc propagata sunt, aperte falsa esse videntur. Id vero minime in hunc locum cadit. Nam quod Baiterus Ciceronis locum *de oratore* I. 45, 199. commemoravit, in eo loco quod legitur: *Equidem mihi hoc subsidium iam inde ab adolescentia comparavi non solum ad causarum usum forensem, sed etiam ad decus atque ornamentum senectutis*, id nihil aliud probat nisi dici posse *subsidium sibi ad aliquam rem comparare*, de qua re nemo umquam dubitavit, minime probat dici non posse *sibi aliquam rem subsidio comparare*, praesertim quom dativus *subsidio* saepe numero a Cicerone ita uti hoc loco usurpatus sit. Est etiam alia causa, quamobrem Quinctiliani auctoritas hic minime sequenda esse videatur, eaque gravissima. Non enim credo Ciceronem aut ullum scriptorem elegantiorem appositione admodum dura ac nulla re adiuta scripturum fuisse: *subsidium mihi diligentiam comparavi*. Id dicendum erat, ut opinio mea fert, aut ita, quemadmodum quidam Quinctiliani libri scriptum habent: *subsidium mihi diligentia comparavi*, aut ita, quemadmodum Ciceronis libri ab ipso auctore haec verba scripta esse testantur: *subsidio mihi diligentiam comparavi*. Ut igitur Baiteri iudicium hoc loco comprobare non possum, ita etiam Kayserus mihi reprehendendus esse videtur, qui non solum auctore Baitero *subsidium* pro *subsidio* scripsit, verum etiam in iis verbis, quae proxime sequuntur: *quae quanta sit, nisi tempus et spatium datum sit, intelligi non potest*, Pluygersio auctore verba *quanta sit* pro suppositiciis habuit, quae mihi quidem ad ipsam sententiam, quam vult declarare Cicero, tam necessaria esse videntur, ut, si illa verba omittas, Ciceronis orationem vix constare existimem. Illud potius hoc loco dubitari potest an olim in Ciceronis libris potius scriptum fuerit *datumst* pro *datum sit*, ut totum hoc enuntiatum ita legendum esse videatur: *quae quanta sit, nisi tempus et spatium datum est, intelligi non potest*. Eademque medicina mihi videtur etiam adhibenda iis locis, qui infra legentur cap. X. §. 34. *nec illud mihi adrogabo, me posse causam commodius demonstrare, quam antea demonstrata sit*, ubi credo itidem olim *demonstratast*, ut id sit *demonstrata est*, scriptum fuisse, et cap. XXII. §. 72. *ut eorum frequentiam et consessum non modo P. Quinctius, qui de capite decernit, sed quivis, qui extra periculum sit, perhorrescat*, quibus in verbis legendum esse: *qui extra periculum est*, iam alterum membrum ostendit, in quo est: *qui de capite*

decernit, quo quidem in loco miror ne C. quidem Halmium haesitavisse, qui cap. XV. §. 50. rectissime pronuntiavit scribendum esse: *si funus id habendum est*, pro eo, quod vulgabatur: *habendum sit*. Leve est, sed tamen commemorandum, non recte Baiterum huius orationis §. 4. edidisse: *eo te et hos, qui tibi in consilio sunt* etc. pro eo, quod ego rescripseram: *eo te et eos, qui tibi in consilio sunt*. Etenim non solum infra §. 5. est in libris: *certe aut apud te et eos, qui tibi adsunt*, et cap. XXX. §. 91. *te atque eos, qui tibi in consilio sunt*, verum etiam hoc ipso loco Codd. Helmstadiensis et Bernensis *et eos* aperte scriptum habent nec in ceteris libris plerisque non *et hos*, sed *et uos* legitur.

Cap. II. §. 7. quod Kayserus de coniectura mea reposuit: *huiusce aetatis, homines disertissimos, fortissimos, florentissimos nostrae civitatis*, laudo, non laudo Baiterum, qui pro *florentissimos* reliquit *ornatissimos*. Id enim non habent nisi pauci admodum libri idque sine dubio e correctione repositum est, unde etiam emanaverunt, quae in singulis fere libris leguntur: *honoratissimos, honorantissimos, honorandissimos*, in plerisque libris, ut in Codd. Bernensi, Parisiensibus d, f, g, i, m, n, aliisque legitur *horrentissimos*, quibus libris iam addo Helmstadiensem, in quo idem habetur, et Dresdensem, qui *horrentissimos* a pr. m. scriptum habet, ab altera *honorantissimos*, ut quid in codice archetypo fuerit plane dubitari non possit. Sic etiam infra cap. XXII. §. 72. legimus: *Pro me pugnabit —. Philippus eloquentia, gravitate, honore florentissimus civitatis*, et in oratione *pro Sex. Roscio Amerino* IX. 24. *mors hominis florentissimi Sex. Roscii crudelissima.* et in epistolarum lib. III. ep. 10. §. 8. *aut florentissimi hominis aspernari benevolentiam aut eius existimationem oppugnare in provincia.*

Cap. IV. §. 15. Kayserum miror in verbis his: *quo mortuo nec ita multo post in Galliam proficiscitur Quinctius*, verba *quo mortuo*, quae in omnibus libris sunt, tamquam suppositicia notasse, quamquam illo quo leguntur loco aptissime posita et Latinae orationi, cui inprimis laus perspicuitatis quaeritur, maxime convenientia esse videntur.

§ 16. de librorum paene omnium auctoritate, Codd. Bern. Pariss. a, b, c, d, f, g, h, i, k, l, m, n, Helmstad. Dresd. Oxon. X. ego scripseram: *eum non ita commode posse eo tempore, quo proscripsisset, vendere*, meque Kayserus sequutus est. Contra Baiterus vulgatam scripturam servavit: *eo tempore quae proscripsisset vendere*, adlata §. 20. *in Galliam mittit, ut ea, quae proscripserat, venirent*, qua in re hominem doctissimum vehementer errare existimo. Alia enim huius atque illius loci ratio est. Illo loco quae venire debebant

accuratius erant declaranda, hoc loco de rebus, quae venirent, propter ea, quae antea erant dicta, dubitari plane non poterat, sed hoc erat premendum, eo tempore, quo auctionari vellet P. Quinctius, non satis commode eas res posse vendi. Eodem fere modo quo hic peccavit idem Baiterus etiam paullo post §. 17., ubi de coniectura sua scripsit: *Cum pecuniam C. Quinctius P. Scapulae debuisset, per te, C. Aquili, decidit P. Quinctius quid liberis eius dissolveret, quid* pro *quod,* quod in libris est, reponens, quia mox diceretur: *decidis statuisque tu propter necessitudinem, quae tibi cum Scapulis est, quid iis ad denarium solveretur.* Hoc quoque loco duas res, quae confundendae non erant, confudit vir clarissimus, quod non vidit infra verba: *quid iis ad denarium solveretur,* non tam propter verbum *decidis* quam propter verbum, quod adiunctum est, *statuis* pronomine illo inferri, hoc autem loco, quod legitur: *per te — decidit P. Quinctius quod libris eius dissolveret,* id ita esse explicandum: d e c i d i t e a m p e c u n i a m a u t d e c i d i t d e e a p e c u n i a, q u a e l i b e r i s e i u s d i s s o l v e r e t u r. Sic enim saepe numero *decidere aliquam rem* aut *decidere de aliqua re* Latine dicitur.

Cap. VI. §. 25. Baiterus et Kayserus vehementer mihi videntur errare, quod Garatonii auctoritate commoti ediderunt: *Tabulae maxime signis hominum nobilium consignantur,* pro eo, quod vulgo legebatur: *Tabulae maximae signis hominum nobilium consignantur.* Nam quod Garatonius adnotavit: „Legendum est *maxime* cum codice S. Vict. et meo, i. e. *praecipue, potissimum,* signis potius hominum nobilium quam aliorum“, in eo homo doctissimus dupliciter fallitur. Nam neque magna potest librorum in eius modi re esse auctoritas, ut etiam cod. Genevensis scriptura, in quo est *maxime* totidem litteris scriptum, nihil efficiatur, praesertim quum in ceteris libris *maximae* scriptum sit et omnino e *maxime*' facile nasci potuerit *maxime,* nec vero sententia recipit adverbium *maxime.* Neque enim hoc dicendum erat, maxime homines nobiles fuisse, a quibus consignarentur tabulae, ut invidia Sex. Naevio conflaretur, sed omnino homines nobiles, quibuscum Naevius potissimum versaretur, cum aliis nullis. Sic enim Cicero fere ratiocinatur: Satis erat viro bono eius rei tabellas facere et obsignare signis bonorum virorum, ut fere cap. XXI. §. 67. dicitur: *Eius rei condicionisque tabellas obsignaverunt viri boni complures.* Id autem Sex. Naevio non satis erat. Is non tabellas, ut fere fieri solebat, sed tabulas maximas confecit, easque non bonorum hominum, sed hominum nobilium signis consignandas curavit, unde colligi facile posset insidiose omnia a Naevio facta, non usitato more: eum non solum magnitudine ipsa tabularum, verum etiam nobilitate testium et obsignatorum efficere

voluisse, ut a praetore quod vellet impetraret, ut adversario iniuriam facere posset.

Eodem capite §. 27. nuper fere ab omnibus criticis recepta erat scriptura haec: *Quod si facere nolit atque imbiberit eius modi rationibus illum ad suas condiciones perducere, sese nihil precari et, si quid agere velit, iudicio defendere.* Et recte quidem. Nam quod in libris non optimis in verbo *imbiberit* leviter peccatum est, id in verbo non usitatissimo nihil debet offensionis habere. Cicero autem hoc verbo non est usus nisi in orationibus primae aetatis, ut in act. in C. Verr. prima 14, 42, ubi haec verba leguntur: *An iste umquam de se bonam spem habuisset nisi de vobis malam opinionem animo imbibisset*, quae propter hoc ipsum verbum adferuntur a Prisciano lib. X. 3, 14. vol. I. p. 506. ed. Hertz., et hoc ipso loco, ubi non accusativus ei verbo, sed infinitivus adiungitur. Id videtur Kayserum offendisse, qui de coniectura sua satis audaciter scripsit: *quod si facere nolit atque imbiberit spem posse se eius modi rationibus illum ad suas condiciones perducere* etc. Cuius ego rei nullam rationem video. Nam quam sententiam Kayserus interpositis verbis *spem posse se,* quorum verborum nullum prorsus in libris manu scriptis vestigium invenitur, effici voluit, ea iam inest in verbis iis, quae offerunt libri. *Imbibere* enim eius modi locis fere hoc est in animum inducere aliquid atque efficere velle. Si autem in infinitivo offendit vir doctissimus, meminisse debebat aequales Ciceronis eodem modo saepius locutos esse itaque eos errare, qui in his primae aetatis orationibus eandem verborum elegantiam requirerent, quae appareret posteriore tempore in orationibus Tullianis. Scripsit autem Lucretius III. 995 sqq.

Sisyphus in vita quoque nobis ante oculos est,
Qui petere a populo fasces saevasque secures
Imbibit, et semper victus tristisque recedit.

et VI. 71 sqq.

non quo violari summa deum vis
Possit, ut ex ira poenas petere imbibat acris,
Sed quia tute tibi placida cum pace quietos
Constitues magnos irarum volvere fluctus,

ut mihi de librorum scriptura hoc Ciceronis loco nullo modo dubitari posse videatur.

Cap. VIII. §. 30. nihil mihi causae fuisse videtur, quamobrem idem Kayserus ex uno libro interpolato scriberet: *Non recusabat Quinctius quin ita satis dare iuberetur, si bona possessa essent ex interdicto,* pro eo, quod in reliquis libris omnibus habetur: *quin ita satis dare iuberet* etc. Nam quo pertineat *iuberet* ex toto loco satis superque apparet et dicitur mox eodem modo sine nomine substantivo: *decernit* — *iubet* de praetore. Paullo post nollem Baiterus et Kayserus sequuti essent Halmium, qui scribi voluit: *et hoc ipsum tacuissem mallem* pro *tacuisse mallem,* quod in libris est. Id dicendum certe erat: *et hoc ipsum mallem tacuissem.* Infinitivus autem hoc loco eodem iure ponitur, quo Horatius in satirarum lib. II. 8, 79. scripsit:

Nullos his ludos mallem spectasse.

Alius modi illi loci sunt, quos A. S. Wesenbergius in Observatt. criticis p. 2 sq. rectissime tractavit.

Cap. X. §. 36. Baiterus et Kayserus nuper ex levi paucorum librorum auctoritate scripserunt: *Haec tria cum docuero, peroraro.* Ita scribendum esse I. C. Orellius olim suspicatus erat, cl. Ciceronis Accusat. lib. III. 66, 154. Sed tantum abest ut hoc exemplo res conficiatur, ut illo ipso loco, si rem recte existimamus, *perorabo* potius quam *peroraro* reponendum esse videatur. De librorum auctoritate hoc primum ponam, quod notum est omnibus, qui veteres libros contulerunt, *perorabo* et *peroraro* et quae sunt eius modi propterea tam saepe in libris manu scriptis inter se commutata esse, quod *o* littera praecedenti consonanti in eius modi locis sic solebat appingi, ut paene tota in eius figuram reciperetur. Itaque neque hoc loco mirum est Orellii coniecturam postea in paucis quibusdam libris esse repertam neque altero Ciceronis loco, quo usus est Orellius ad confirmandam coniecturam suam, multum illis libris tribuendum est, qui *peroraro* pro *perorabo* exhibent in verbis his: *Venio nunc ad epistolam Timarchidi, liberti istius et accensi, de qua cum dixero, totum hoc crimen perorabo.* In his verbis Codd. quidem Lagomarsinianus no. 42 et Nannianus habent *peroraro*, sed Cod. Vaticanus et reliqui libri *perorabo* tuentur. Rectissime id quidem. Etenim Cicero non hoc vult dici: Cum de hac epistola Timarchidi dixero, totum hoc crimen decumanum perfecero, quod diceretur, si *peroraro* recipimus, sed illud potius: Cum de hac epistola Timarchidi dixero, totum hoc crimen decumanum concludam, id est, epilogo quodam finiam. Itaque postquam de Timarchidi epistola a Cicerone dictum erat, non iam decumanum crimen

totum eius oratione absolutum erat, sed tum demum voluit oratione sua ita finem huic crimini decumano imponere, ut denuo quae ex hac ipsa accusationis suae parte sequerentur et concludenda essent peroratione quadam ostenderet et hanc accusationis partem prorsus absolveret. Itaque paene necessarium est in illo accusationis loco *perorabo*, quo loco tamen usus est Orellius, ut suam coniecturam hic commendaret. Atque eadem qua in illo loco ratione etiam hic Cicero loquitur: *Haec tria cum docuero, perorabo*, id est, cum haec tria oratione mea persecutus ero, tum peroratione, id est, epilogo orationem concludam. Nihil igitur causae fuit ne hoc quidem loco, quamobrem *peroraro* potius e paucis libris reponeretur quam *perorabo*, quod plurimorum librorum auctoritate nititur.

Cap. XI. §. 39. Baiterus et Kayserus contra omnium librorum testimonium ediderunt: *Huic tum molestus esse videlicet noluisti, quem nunc respirare libere non sinis? quem nunc interficere nefarie cupis, eum tum pudenter appellare nolebas?* pro eo, quod in libris est *huic tu*, reponentes *huic tum*. Et Baiterus quidem chiasmum observari iussit: *Huic tum .... quem nunc .... quem nunc .... eum tum ....*, non animadvertens quem voluit esse in his verbis chiasmum, iam propterea non posse agnosci in hoc loco, quod ipso tempore verbi mutato satis ostenditur haec membra aequabiliter inter se non respondere, sed alterum alteri tantum modo explicationis causa adiungi. Ne quis autem propter sequens *nunc* in priore quoque membro requirat *tum* pro *tu*, quamquam pronomen aptissimum est ad hunc locum atque se tuebitur ipsum, tamen conferri iubeo huius orationis §. 69. *An omnes tu istos vincere volebas, qui nunc, tu ut vincas, tanto opere laborant?*

Cap. XV. §. 49. non probo, quod Baiterus et Kayserus in verbis his *Etenim mors honesta saepe vitam quoque turpem exornat: vita turpis ne morti quidem honestae locum relinquit*, quae, ut sunt in omnibus libris scripta, vera esse non possunt, meam coniecturam, qua *non* ante *turpem* interposui, sequuti non sunt, quae est facillima eoque facilior, quod saepe in hac ipsa oratione *non*, quod videtur in codice archetypo compendio scriptum fuisse, aut in nonnullis libris omissum est, qua de re ad hunc ipsum locum dixit Fr. L. Kellerus in *Semestrium ad M. Tullium Ciceronem* vol. I. p. 232., c. 16. §. 53. c. 23. §. 73. etc. commemorans, aut etiam ex omnibus libris excidit, veluti cap. XXIX. §. 90, ubi laudo Kayserum, quod de mea coniectura scribi maluit: *servos privatos Quinctii omnes eiectos non esse*, quam ita, ut vulgo legebatur: *servos privatos Quinctii non omnes eiectos esse,* id quod retinuit Baiterus. Meam autem

coniecturam, si quid emendandum esset in hoc loco, qua de re equidem minime dubito, facile omnibus praeferendam esse pronuntiavit Kellerus l. c.

Cap. XI. §. 53. laudo Baiterum et Kayserum, quod verborum interpunctionem antiquitus traditam hanc retinuerunt: *Quid ago? respirasset cupiditas atque avaritia paullum, aliquid loci rationi et consilio dedisses,* non eam interpunctionem adoptaverunt, quam I. N. Madvigius in Nov. annal. philol. et paedag. vol. LXXIII. p. 118. commendavit: *respirasset cupiditas atque avaritia; paullum aliquid loci rationi et consilio dedisses.* Nam etiam si aliis locis *paullum aliquid* recte videtur coniungi, qua de re Madvigius conferri iubet, quae ipse scripserit ad Cic. de finibus V. 30. p. 782, tamen propterea hanc verborum interpunctionem non recipit hic locus, quod sic vis, quae inest in verbis: *aliquid loci rationi et consilio dedisses*, infirmaretur. Praeterea commemoro *paullum respirare* a Cicerone dictum esse saepius, veluti in oratione Cluentiana 70,200. *qui nunc primum post illam flammam — spe vestrae aequitatis erigere animum et paullum respirare a metu coepit* et ad Atticum lib. VII. ep. 13. a. §. 3. *cum autem Dolabellae in mentem venit, paullum respiro.* et lib. X. ep. 1. §. 1. *III. Nonas cum in Laterium fratris venissem, accepi litteras et paullum lectis respiravi,* ut etiam hinc vulgatae interpunctioni aliquid auctoritatis accedat, in qua rectissime *paullum* in fine primi membri et *aliquid* in initio secundi inter se respondent. In utroque enim membro suam utraque vox vim obtinet.

Cap. XXIV. §. 76 legebantur vulgo haec verba: *Ego haec duo quaero: primum qua ratione Naevius susceptum negotium transegerit — deinde cur ex tot creditoribus aliis ad istam rationem nemo accesserit* etc., quae verba sese rectissime habebant. Nam quod nuper pro *ex tot creditoribus aliis* Baiterus et Kayserus reposuerunt *ex tot creditoribus alius*, id neque librorum auctoritate neque sententia loci magno opere commendatur. Si Baiterus, ut stabiliret scripturam suam, quae tantum in uno alterove libro habetur, contulit huius orationis §. 88., id, quod ibi legitur: *deinde illud quoque requisivi, qua ratione ex tot creditoribus nemo neque tum idem fecerit neque nunc contra dicat,* potius confirmat meam rationem quam confutat. Ostendit enim *alius* ad vocem *nemo,* id quod etiam tacente me luce clarius est, in eius modi locis per se non requiri. Quod autem illo loco *ex tot creditoribus* non adiecta voce *aliis* dicitur, hic autem adiungitur, id certam rationem habet. Nam eo loco, de quo nunc agitur, paullo ante Naevii facta erat mentio, ut summo iure diceretur: *cur ex tot creditoribus aliis,* id est, illis, quos praeter Sex. Naevium P. Quinctius habebat, *ad istam rationem nemo accesserit.*

In quibusdam huius orationis locis Kayserus meas rationes sequutus est, quas Baiterus falso, ut ego opinor, repudiaverat, veluti cap. VII. §. 28., ubi et ipsa sententia et plurimorum librorum auctoritate facile efficitur veram scripturam esse hanc: *Existima, C. Aquili, modo et ratione omnia Romae Naevium fecisse, si hoc, quod per litteras istius in Gallia gestum est, recte atque ordine factum videtur,* quod contra Baiterus scripsit *factum esse videatur,* id apparet e correctione esse profectum, cap. XII. §. 40, ubi Kayserus me auctore scripsit: *Si debuisset, Sexte, petisses, et petisses statim, si non statim, paullo quidem post* etc., pro eo, quod Baiterus retinuerat: *Si debuisset, Sexte, petisses statim, si non statim* etc., quod tamen non fuisse in codice archetypo testantur libri, qui fere omnes scripturam eius modi habent: *Si debuisset, Sexte, petisses, sed petisses statim, si non statim* etc., cap. XV. §. 48, ubi Kayserus me sequutus edidit: *quod gravius aut crudelius facere posses,* ex libris plurimis, Helmstad., Dresd., Oxon. C. T. ς. X, ut dicitur *Accusat.* lib. III. 72, 169. *non mehercule hoc possum, iudices, dicere audacius esse aut impudentius,* quom contra Baiterus vulgatam scripturam *gravius atque crudelius* retinuerit, cap. XXVI. §. 82, quo in loco Kayserus de coniectura mea scripsit: *Praetor scilicet iussisset,* Baiterus autem quod vulgo legebatur *Praetor iussisset* patienter tulit, quod hoc quidem loco verum non esse clamant libri, qui aut *praetor si iussisset* scriptum habent, ut Codd. Helmstad., Dresd., Oxon. CHST x., aut, quod eodem redit: *praetor si uixisset,* ut Codd. Bern. Pariss. b, c, d, f, g, h, i, l, m, n. Hoc autem, quod plane inani sententia est hoc loco, antiquitus nihil fuisse aliud nisi *praetor .s. iussisset,* id est, *praetor scilicet iussisset,* apparet inde, quod infra §. 83 in codice Dresdensi pro verbis *corrigeres haec tu scilicet postea* scriptum est: *corrigeres haec .s. tu postea,* et id rursus in codice Helmstad. depravatum est ita: *corrigeres haec tu si postea,* ut luce iam clarius esse videatur, quid hoc ipso loco olim in codice archetypo fuerit. Eadem fere ratio est cap. XXVIII. §. 87, ubi Kayserus rationem meam sequutus edidit: *neque eum, si tribunos appellarit, idcirco minus iudicio pati paratum fuisse* etc. pro eo, quod Baiterus contra omnium fere librorum auctoritatem scripsit: *iudicium pati paratum fuisse.* De formulis *iudicio pati* et *iudicio defendere,* vide quae olim a me disputata I. C. Orellius posuit in Onomastici Tulliani Part. III. p. 393 sq. et quae Theodorus Mommsenius nuper disseruit in Ciceronis oration. edit. Bait. et Halm. vol. I. p. 454.

Sed boni critici est non solum alios aut laudare, si quid recte iudicaverint, aut etiam vituperare, si minus recte rem administrasse videantur, verum etiam se ipsum corrigere, si quid ab ipso alio tempore non satis caute factum

esse videatur. Quamobrem nonnullos locos hic persequar, ubi quaedam a me ipso superiore tempore praetermissa aut non satis recte proposita esse videantur.

Ac primum quidem cap. III. §. 13. ego cum ceteris fere criticis edidi: *Itaque hercule haud mediocriter de communi, quidquid poterat, ad se in privatam domum sevocabat.* Ea tamen scriptura, si scrutamur ea, quae in libris leguntur, vix potest esse vera. Etenim Codd. Dresd. et Oxon. ς pro *quidquid* habent *quicquam*, Helmstad. Oxon. C. Pariss. a, b, c, d, e, f, g, h, i, k, l, n, *quod quidque*, Oxon. H. et Paris. m *quod quisque*, Genev. *quod quique*, Bern. *quidem quidquid*. Alii alia coniecerunt. Ego puto olim fuisse: *de communi, quod ubique poterat, ad se in privatam domum sevocabat.*

Cap. V. §. 18 sq. haec vulgo legebantur in editionibus: *Quasi domi nummos haberet, ita constituit Scapulis se daturum. Naevium certiorem facit; rogat, ut curet, quod dixisset. Tum iste vir optimus — vereor ne se derideri putet, quod iterum iam dico optimus —, qui hunc in summas angustias adductum putaret, ut eum suis condicionibus in ipso articulo temporis adstringeret, assem sese negat daturum, nisi prius de rebus rationibusque omnibus decidisset et scisset sibi cum Quinctio controversiae nihil futurum.* Hic ego commotus librorum permultorum auctoritate, qui *cum* pro *tum* habent, Helmstad., Dresd., Oxon. C. T. ς, Pariss. b, c, d, e, g, i., id recipiendum et totum locum ita constituendum existimaveram: *Naevium certiorem facit, rogat ut curet, quod dixisset, quom iste vir optimus* etc., non animadvertens constructionem hoc loco impeditiorem existere, et Ciceronem eius modi rationem non facile admittere, nisi ubi oratio plana admodum et perspicua esset. Quom igitur in multis libris *tum* aperte scriptum sit, in aliis, ut in cod. Genevensi *tamen*, quod quoniam simile utriusque vocis et *tum* et *tamen* compendium est, eodem ducit, credo rectius fecisse Baiterum, qui me sequutus non est, quam Kayserum, qui rationem illam a me propositam adsumpsit.

Cap. IX. §. 33. fugit me et ceteros criticos in verbis: *Eos porro, qui defendere consuerunt, vides accusare, consuerant* potius quam *consuerunt* scribendum fuisse. Id satis ostendit alterum quod sequitur membrum: *et ea ingenia converti ad perniciem, quae antea versabantur in salute et auxilio ferendo*, eodemque ducit etiam cod. Bernensis scriptura *consueverant.*

Cap. X. §. 36 legitur nunc in editionibus fere omnibus: *Negamus te bona, Sex. Naevi, possedisse ex edicto praetoris. In eo sponsio facta est.* Id per se falsum non est. Sed si ea, quae in libris veteris scripturae vestigia inveniuntur, persequi volumus, dubitari potest num vera haec scriptura sit. Lam-

binus quidem scripsit: *In ea verba sponsio facta est*, pro *in eo* in suis se libris *in ea* repperisse testatus. — Id congrueret cum illo loco, qui est infra 27, 84. *Sponsio quae in verba facta est*? In aliis libris, veluti in libro Helmstad., Oxon. CS. Paris. k. *responsio* legitur pro *sponsio*, ut iure suspicari possimus olim scriptum fuisse: *In ea re sponsio facta est.* In ablativo enim casu minime offendendum est. Similiter enim in oratione *pro Q. Roscio com.* 4, 10 dicitur: *in qua* (pecunia) *legitimae partis sponsio facta est.*

Cap. XI. §. 38. quod nunc fere ab omnibus criticis editum est: *qui usque eo fervet ferturque avaritia, ut de suis commodis aliquam partem velit committere* etc. id per se falsum non est. Verum tamen si antiquae scripturae vestigia, quae etiam nunc in libris deprehendi possunt, sequimur, facile adducimur ab ipso Cicerone non *fervet* olim scriptum fuisse, sed quemadmodum fere eius aequales loqui solebant *fervit*. Praeter quam enim quod *fervit* totidem litteris in libro Dresd. Palat. II. III. scriptum est, eodem ducunt etiam ea, quae in aliis libris scripta sunt, veluti *feruuit*, quod est in cod. Paris. e, et *ferbuit*, quod habet cod. Paris. k, et *ferviet*, quod in cod. Paris. d. inde ortum esse videtur, quod *ferv*$\overset{e}{i}$*t* in codice antiquiore scriptum erat, eiusdemque scripturae vestigia apparent in iis libris, in quibus *et ferturque* scriptum esse dicitur, uti in Palat. V. VI. Eadem lectionis varietas fere est etiam in illo Pacuvii versu, quem M. Tullius adfert in libro *de oratore* III. 39, 157. *fervit aestu pelagus.* Vide quae Fr. Ellendtius ad eum locum adnotavit vol. I. p. 531. De formis fervit, fervat, fervĕre et similibus non est quod copiosius hoc loco dicam, conferri possunt praeter Lucilii praeceptum, quod est apud Quinctilianum I. 6, 8. *fervit aqua et fervet: fervit nunc, fervet in annum*, ea exempla, quae posuit satis multa Nonius p. 502 sq. et rursus p. 504,26., tum L. Ramshornius in grammatica Lat. ampl. p. 208. ed. II. et quae dixit Fr. Lachmannus ad Lucret. vol. II. p. 79.

Reliquus est locus, qui omnes fere criticos et me ipsum vehementer exercuit, nec tamen usque adhuc ita constitutus est, ut ab omni parte absolutus esse videatur, quamquam, si recte omnibus adiumentis utimur, quae nunc nobis concessa sunt, mihi videtur iam ita absolvi posse, ut nihil dubitationis relinquatur. Legitur ille cap. XXXI. §. 95. nunc fere a novissimis editoribus sic constitutus: *funestum est a forti atque honesto viro iugulari, funestius ab eo, cuius vox in praeconio quaestu prostitit.* Extrema haec verba neque in libris manu scriptis plane ita scripta sunt, quemadmodum nunc posita sunt in editionibus, neque aptam videntur habere sententiam, id quod iam in pro-

oemio ed. II. p. XI sq. significavi. Ut interea omittam librorum testimonia ipsa, multis de causis illa verba non possunt sic a Cicerone scripta fuisse, quemadmodum fere nunc leguntur. Ac primum quidem *praeconium* non dicitur nisi substantive, ut in verbis *in praeconio quaestu,* si, quod fere fecerunt interpretes, haec verba coniungimus, oratio insit barbara, non Latina. Deinde etiam illud mihi dici posse non videtur: *cuius vox in — quaestu prostitit.* Dicta est ab Latinis *meretrix prostare,* etiam r e s p r o s t a r e, sed v o x p r o s t i t i t i n q u a e s t u dici non potuit. Eo loco dicebatur aliquis v e n a l e m v o c e m h a b e r e, qua de re conf. huius orationis 3, 13., aut v o c e m i n q u a e s t u m c o n f e r r e, conf. §. 11. Si iam his rebus deduci facile possumus ab ea scriptura, quae nunc vulgatur, id fiet eo magis, si excutiemus ea, quae in libris manu scriptis leguntur. Ac primum quidem in libris non *cuius vox* scriptum est, sed *vox cuius,* ut in cod. Helmst. Dresd., qui quidem habet *vos cuius*, Bern. Pariss. a, b, c, d, f, g, h, i, l, n. In ea scriptura nobis idoneam emendandi quasi ansam dari deinceps explicabo: hoc loco tantum modo illud docere volui, in libris aliam prorsus scripturam haberi atque in editionibus. Verba quae sequuntur *in praeconio* constanter sic leguntur in libris, ut si quis corrigere velit: *in praeconis quaestu*, inde nihil adminiculi suae rationi petere possit. Deinceps scriptum est in multis libris non *quaestu prostitit,* sed *quaestum praestitit,* ut in Codd. Pariss. c. a pr. m., k., m. Oxon. CHS. [nam de inverso ordine, qui dicitur in illis libris esse, *praestitit quaestum* dubitari potest], eodemque ducit etiam cod. Dresdensis, in quo satis perspicue scriptum est *questum prestitit*, praeterea etiam Paris. i. tuetur hanc scripturam, qui habet *quaestu prestitit* et cod. Genevensis, in quo legitur *quaestum prostitit,* et omnem errorem ex compendio verbi *praestitit* confuso ortum esse ostendunt etiam illi libri, qui habent *quaestu constitit*, ut Pariss. b, c. His rebus consideratis ego olim id reponendum esse existimaveram, quod fere in antiquioribus editionibus habetur: *cuius vox in praeconio quaestum praestitit.* Si hoc facimus, *in praeconio* quidem satis Latine dicitur, ac recte etiam v o x dicitur q u a e s t u m p r a e s t i t i s s e, quod dici recte potest, non p r o s t i t i s s e i n q u a e s t u, quod dici non potest; verum tamen non apparet ratio quamobrem *vox cuius* pro *cuius vox* in tot libros venerit, neque satis commode dicitur *vox quaestum praestitisse* non adiecta persona, cui quaestum praestiterit. Hac inita subductaqne ratione in eam opinionem deductus sum, ut ne illa quidem verba *cuius vox* vera esse existimarem, quia sic nullo modo explicari posset, cur *vox cuius* quisquam scribere vellet, si usitato verborum ordine *cuius vox* scriptum invenisset. Facile autem omnis

huius scripturae difficultas explicari poterit, et id est illud, quod ego supra dixi, in his ipsis verbis illud ipsum positum esse, quo huic loco mederi possemus, si statuimus olim in codice archetypo scriptum fuisse: *cui vox in praeconio quaestum praestitit.* Hoc *cuiuox* in continua scriptione, maxime si *vos* pro *vox*, ut est revera in codice Dresdensi scriptum, positum erat, facillime in *cuius* mutari potuit. Quod quum omisso nomine substantivo nullam idoneam sententiam haberet, nomen *vox*, quod oblitteratum erat, e vetusto aliquo codice videtur reprehensum et super versu ad pronomen *cuius* scriptum fuisse; ab aliis autem librariis, quibus haec describenda erant, ante pronomen *cuius*, ad cuius extremam syllabam illa vox pertinebat, facili errore inferri potuit, ut inde scriptura, quae in omnibus fere libris habetur: *vox cuius*, nasceretur. Quemadmodum igitur, si scribimus: *cui vox in praeconio quaestum praestitit,* facile omnes scripturae, quae inveniuntur in libris manu scriptis, explicari possunt, sic etiam ipsa sententia totius loci egregie constare videtur. Recte enim vox alicui quaestum praestitisse dicitur, sicuti apud Iustinum V. 4, 4. dicitur: *quam* (pacem) *ne acciperent, opera eorum effectum est, quibus ea res quaestum praestabat,* aut, ut in aliis libris est, *quaestum praebebat* et alicui quotannis certam summam praestare a Suetonio Domit. 9. dictum est et usuram praestare a Iuvenale IX, 6. Quae quom ita sint, mihi iam certum est hunc locum olim sic a Cicerone scriptum fuisse: *Miserum est deturbari fortunis omnibus, miserius est iniuria; acerbum est ab aliquo circumveniri, acerbius a propinquo; calamitosum est bonis everti, calamitosius cum dedecore; funestum est a forti atque honesto viro iugulari, funestius ab eo, cui vox in praeconio quaestum praestitit.* Nam ut in extremo hoc enuntiato mihi non convenit cum novissimis editoribus, sic etiam in primo membro *miserius est iniuria* malo cum libris praeter unum Paris. k. interpolatum omnibus retinere, quam auctore Baitero atque Kaysero verbum substantivum abiicere, quoniam male cadunt verba illa vocula omissa.

Venio iam ad id, cuius causa hanc scriptionem institui. Recolenda est enim nobis memoria Ioannis Augusti Ernestii, qui quum ingenii acumine tum doctrinae elegantia non solum omnes liberalium artium disciplinas, dum in vita fuit, egregie auxit atque amplificavit atque adiuvit, verum etiam in Ciceronis scriptis emendandis atque enarrandis tantum operae studiique posuit, ut qui post eum haec studia suscipiat, grato pioque animo illius merita meminisse debeat. Huius igitur summi viri memoriam redintegrabit nunc

vir litterarum laude clarissimus, Tuisco Ziller, philosophiae professor extraordinarius des., oratione, quam die huius mensis XX. hora decima *de locis quibusdam logices Aristoteleae* in auditorio iuridico habebit, ad quam audiendam orationem, ut RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICUS, FAUTORES et PROCERES UTRIUSQUE REI PUBLICAE, COMMILITONES HUMANISSIMI ATQUE ORNATISSIMI frequenter convenire velint ea qua par est observantia rogamus.

Dat. d. X. m. Octob. MDCCCLXII.

LIPSIAE, TYPIS A. EDELMANNI, TYPOGR. ACAD.